



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 38. Inania Usumcassani promissa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.

A.C. 1474.

§. XXXVIII.

*Inania Usumcassani promissa.**Michou. l. 24.**cap. 70.**Cromer. l. 28.*

Venetorum Legatus ad Usumcassanum Regem Persarum missus, in Europam reversus est, unacum aliis ejusdem Regis Oratoribus, qui ceteros Principes, quibus Christianæ Reipublicæ salus cordi esset, adversus Turcas incitarent. Ampla erant horum Oratorum promissa, ac inter cetera Regis sui potentiam admodum jactitantes, eum proximo Vere Mahometis copias cum decies centenis armatorum millibus aggressurum spondent. Offerebant insuper in uxorem unius Casimiri Regis Poloni filii ipsius Usumcassani Filiam, quam ex Catharina Trapezuntini Imperatoris Filia susceperat; sed vana, ac nonnisi grandiloqua Casimiro ea Legatio videbatur; unde Persis his Legatis haud aliud responsum dedit, quam se per suos Legatos Usumcassano responsurum. His dictis, hosce Oratores Romam deduci jussit, ubi non minus ampla jactitabant promissa, sed nec major illis ibidem fides habita est, præcipue, cum ante omnia Regi suo ingentem pecuniarum vim suppeditari, eique imperii Trapezuntini, quod ejus uxori debebatur, dominium promitti postularent. Communior Historicorum opinio

opinio est, quod Usumcassanus nihil ultra Sæcul. XV
 adversus Turcas tentaverit, eoquod præ- A.C. 1474.
 peditus fuisset ab ejus filio natu minori,
 qui seditione mota Patris sui, quem fa-
 tis functum falsus rumor nuntiabat, Re-
 gnum invaserat; hic postquam Patrem
 suum adhuc in vivis esse compererat, cum
 de obtinenda rebellionis suæ venia de-
 speraret, ad Mahometem Constantinopo-
 lin confugit, ab eoque auxiliis adjutus,
 Patrem Regno pellere conatus est; ast
 a Satrapis comprehensus, ob seditionis
 crimen ab ipsomet Patre suo extremo sup-
 plicio mulctatus est.

§. XXXIX.

Venetorum classis adversus Turcas.

Turcæ ampliandi imperii sui aviditate
 stimulati, Scodram Albanicæ urbem
 octoginta millium exercitu cingebant.
 Mocenicus tum in Mondonensi portu
 agebat; sed comperto urbis periculo in
 Albaniam rupta omni mora contendit, ut
 laboranti civitati, in cujus salute maxi-
 mum Venetis momentum erat, prom-
 ptum afferret auxilium; magnam quo-
 que servatæ urbis partem invicto Antonii
 Lauredani Scodrae Præfecti animo, ac
 providæ ejus sollicitudini debebant Ve-
 neti, nec minori fortitudinis laude Ci-
 ves Christiani urbem propugnabant; li-